



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

19. Quâ viâ per mare Vltraiectum delatus S. Willibrordus. eius occasione  
de Rheno eiusque antiquis alueis & ostijs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

Quâ viâ per mare Ultraiectum delatus S. Willibrordus, eius occasione de Rheno eiusque antiquis alueis & ostijs.



D hanc antiquam urbem nobileque emporium ex Hiberniâ nauigauit S. Willibrordus & Sodales pro Christo animam deponere parati. Et quandoquidem ij qui de accessu S. Willibrordi sociorumque eius in Frisiam agunt, eum cum sodalibus recto itinere per Rhenum nauigio Wiltaburgum, nunc Ultraiectum, applicuisse narrent, explicare visum fuit quodnam Rheni ostium intrarit, quamque semitam tenuerit: Modo enim nullum tale extare apparet, quo recto cursu nauis beneficio Traiectum attingere potuerit. In cuius explicationem aliquid de Rheno eiusque præsertim veteribus alueis, ostijsque agemus, ad itineris Apostolorum nostrorum, quo ad nos delati sunt, liberaliorem illustrationem.

Plures Rhenani amnis alueos ostiaque quibus aquas suas in Oceanum deferret, tempore suo fuisse disertè asserit Iulius Cæsar de bello Gallico lib. 4. distinctè tamen, quænam ea sint & quot, non explicat, Duo nominat Plinius lib. 4. naturalis Historiæ cap. 15. Hælium & Fleuum, ac consequenter duos alueos. Hunc forsitan secutus poëta ille carmine cecinit:

te Cymbrica Thetys

Diuisum bifido consumit Rhene meatu. Tacitus Fleui Castelli mentionem faciens, non obscure nominis adlusionem fluminis ostium indicat. Minutiùs hi loquuntur, for-

H 3

tè



te non tam quod cætera ignorarent, sed quod ea tanquam ignobliora minorumque nominis & famæ negligenda putarint. Haud inficiandum Hollandiam, Zelandiam, Frisiã adolentes, Ponto infido nimiùm vicinas, crebras aquarias mutationes subiisse, quod inquisitores in diuersas sententias traxit. Ast horum rationem non inimus; ad antiquiora, certiora, & famosiora digitum magis vertimus. Ut igitur breuiter, omissis controuersijs quæ hic agitantur, rem expediamus, Primis Romani Imperij temporibus, quemadmodum ex Cæsare, Tacito, Plinioque collatis constat, tres Rheni exitus, quinque verò alueos aquarum eius vectores exstitisse, satis compertum est. Plures fuisse non crediderim, quamquam aliqui in plures inclinent, forsitan Aquagia, Euripos, minoraque Rheni emissaria (quale ad Egmundam statuitur à Nannio) & recentiora ad computantes. Quó referri potest canalus ille Rheni, quẽ per Harlemum & Alcmariam Cornelius Aurelius ducit.

## DE OSTIIS.



Rimum ostium fuit versus septemtrionem, Fleuum appellatum, per quod Vechta Rheni soboles & Isala Transrhenanus se in Oceanum proijciebant, aquis hodie absorptum post inundationem Sacri nemoris, per quam modernus Sinus meridionalis emerfit: sterisque communi metatorum calculo putatur ad Insulã modò dictã Vlielandt, a viti nominis vestigiũ seruante. In qua insula erat Castellum Romanorum præsidium in quod Olennius Præfectus ferociam Frisiorum fugiens sese recepit iuxta Tacitum lib. 4. Annal. Secun-



Secundum fuit circa vicum Catwicanum vltra Leidam oppidum Hollandiæ, eo loci vbi quondam stetit arx Britannica erecta siue instaurata à Seuero Imperatore, qui imperauit ab anno Christi 195. vsque ad annum 212. & à Nortmannis postea destructa, siue secundum Doufam à Quadis, Saxonibus aut Francis. In quo eodem loco fertur C. Caligula antè in testimonium ridendæ contra conchas marinas victorię excitasse altissimam turrim, ex qua, veluti Pharo, cursui nauium dirigendo nocturni ignes emicarent. Et hoc ostium hodie est destructum. Qua verò occasione obstructio illa Catwicani oris, & quando acciderit, non vna omnibus historicis est mens. Sunt qui solùm naturæ operâ factum credant, fabulosis tumultis Rheni ostium occupantibus, à quibus inhibito cursu necesse fuit Rhenum retrogradi, eiusque alueum elanguere. Alij diuinæ Numinis vltioni adscribunt, iram suam per procellas, tonitrua, fulgura & signa de cœlo testantis. Tertijs placet magis studio Prouincialium populorum ad furentem Rheni immoderatè Cererè infestantis impetum cohibendum, quasi obtorto collo, eius aquas in Leccam distortas, ac infirmante cursu à Neptuni arenâ facile exitum superatum, alueum euacuatam, omni honore ad Leccâ prolem translato. Sic nec tempora conueniunt: alijs sub Hungero I. Traiectensium Præsule circa annum 860. alijs ad viciniora tempora illam Rheni cladem reducentibus.

Tertium ostium antiquitus appellatum est Hælium, cuius situs est maior obscuritas. Doufa probat existitisse circa insulam Zelandiæ Walachriam idque ex Plinio scribente: *In Rheno ipso prope centum millia passuum nobilissima Batauorum insula & Caninesatum & alia Frisiorum, Chaucorum, Frisia bonum, Sturionum, Marsacorum, qua sternuntur inter Hælium & Fleuū. Ita appellatur ostia in qua effusus Rhenus à Septentrione in Lacus, ab Occidente*



72 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS  
*cidente in annem Mosam se spargit, medio inter hac ore modicum no-  
mini suo custodiens aluenum.* Plurimum sententia est stetit iux-  
ta oppidum Brielanum, vbi sese Mosam aliis ditatus amni-  
bus vastissimo hiatu in Oceanum exonerat. Nec refraga-  
tur Plinius; illa nãq; centum millia passuum, Romanorum  
scilicet, conficiunt centum milliaria Italica, de quibus Pli-  
nium intelligo: centum verò talia solum conficiunt hora-  
ria siue nostratia viginti quinque aut vigintifex, Germa-  
nica pauciora, quæ facile inuenies inter Vlielandiã & Bri-  
elam. 2. Plinius non addit quã viã metiatur sua centum  
millia passuum, num rectã, an circulari per gentes quas si-  
mul enumerat.

DE ALVEIS.

**A**lueos, quibus Rhenanæ aquæ ad Oceanum  
deuoluebantur, priscis Romanorum tempori-  
bus quinque fluxisse Authorum testimonijs do-  
cemur. Primã sui sectione ad arcem Lobeca-  
nam bifidum se formans Rhenus, statim duos  
obtinet. Primus est Wahalis dictus Iulio Cæsari, Tacito  
sub eodem nomine notus, possidens ad Gallicam ripam Ne-  
omagum urbem veteribus celebratissimam ac infra eam  
ad quartum milliare se Mosæ iungens moxque iterum ab  
eo se separans, demum circa Castrum Louenstenum se se-  
cundò associans, Insulam efficit Bomeliam, vulgo dictam  
**Bommeler-Weert**. Inde non procul perditio nomine Mosæ,  
Lingæ ac Isalæ Cifrhenaenæ commixtus, Meruæ appellatio-  
nem cum illis accipit. Transito Dordraeco ac ad Rottero-  
damum in communi nomine Mosæ restituto, simul ad O-  
ceanum patrem anhelantes, communi ostio Hælio com-  
munes aquas euomunt. Ab hac diuisione ad Lobecã Rhe-  
no bicornis epitheton à Virgilio lib. 8. Æneidos tribui ac-  
cipio



cipio & Wahalim, Wael, Wal esse eundem cum Iambal (de cuius Orthographia dudum apud antiquarios mota est questio) Seruij Grammatici anuotantis bicornem Rhenum vocari à Marone, quod per duos fluat alueos: vnum quò Romanum imperium sit, alterum quò influat Barbaros ibique Iambal vocari. Probat identitas finalis terminationis V. in B. facile mobili & in initialibus corruptione accedente non insuetà Scriptoribus oscitabundis aut imperitis. Quidni etiam dicam Sincfal fluuium, cuius mentio est in archiuis Frisiz, cum Wahali, Wael, Wal coincidere? alludit etiam finalis terminatio initio aliquibus additionibus per imperitiam aut incuriam annexis, aut ex syllabis præcedentis alicuius dictionis malè diuisè adherentibus. Alijs aliud placet. bene est. nos nostra apponimus, rapiat quisque quod suo palato est gratius.

Alter alueus est qui rectà Wiltaburgum ceu Antoninã, nunc Ultraiectum, petebat, eoque salutato per Castra Alphena, Oppidum Lugdunum, Catwico ostio egrediebatur Neptuno se immergens.

Tertius alueus oriebatur in ciuitate Wiltaburgensi, vbi Rhenus se iteratò findēs, altera sui parte sub Vechte nomine versus Aquilonem præterlabens Wespam ac Mudam oppidula, superatis lacubus Septentrionalibus, per Fleuiũ ostium mare petebat.

Quartus, quem modicum alueum Plinius appellat, oritur ad Batauodurum à Rheno enixus nomen Leccæ sortitus, quo inter Rotterodamum & Dordracum Mosæ commixtus, ad Hælium portum Rhenus properabat.

Quintum alueum nactus est Rhenus tempore Augusti Cæsaris ducta fossa à Rheno in Salam siue Isalam fluuium ad oppidum Dousborch Authore Druso Augusti priuigno, vnde & fossa Drusiana nominatur, qua delatus in Isalam



74 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS  
lameique permixtus vnà ad Sacrum nemus Fleuumque  
concedebat.

Hodierno die ex quinque numeratis Rhenanas vndas  
vehentibus, superstites manent tres; primus, quartus, quin-  
tus, etiamnum Rheni aquas vegetantes: cæteri duo elan-  
guidi, stagnantes continent. Est tamen hodie & quartus,  
qui quanto tempore fluxerit, ignoratur, ille scilicet, per-  
quem Isala Cisrhenanus ad oppidum Vianam è Lecca le-  
niter fluens, Iselsteinium, Oudewaterum, Gaudam ad lam-  
bens, in Mosam labitur.

Vt nunc iuxta intentum nostrum declaremus quo cur-  
su S. Willibrordus cum suis Vitraie & cum aduenerit: Cor-  
nelius Aurelius lib. 2. Batauiæ, sentit illum ingressum per  
aliquod Rheni ostium iuxta Egmundã. Dabo eiusmet vr-  
ba: *Postremo Rhenus exinde progrediens & prope Alcmariam reflexo  
cursu Veronam versus (olim ciuitatē Frisiorum maximam, sed à Ba-  
tauorum Comite solo potenter equatam) ad Eurum vsq; grandi lacu  
procurrit. Tandem circa arcem domumq; suo illustrem nomine & ve-  
rustis motum Dominorum de Egmundã monumentum (qui de ipso  
Radbodo Frisonum Rege trahunt originem) tutissimum aperiebat na-  
uibus portum, qua de mari appulso Batauos & Rhenanos suis cum  
mercibus adire cupiebant. In eum portum primo Iustiniani Imperato-  
ris anno nostræq; salutis 687. S. Wilfridus Lindisfarenensis Episcopus  
Romam iterum stante Fauonio appulsus est, qui ab Adgillo Frisiorū Re-  
ge patre Radbodi & omni populo honorifice receptus, primus in Frisia  
Christum per Hyemem predicauit & complures fonte abluit salutari.  
In hunc etiam anno 690. missus à S. Egberto Eboracensi Archiepisco-  
po Willibrordus, regnante in Anglia Catholico Rege. Alfredo & Pra-  
sule Colonia Alderino, cū undecim verbi Dei cöoperatoribus, ut Fri-  
siam conuerteret, appulit.*

Verum existimo longè vero similis esse ex Britannia  
nauigio delatum per ostium Cadwicanum, ac per Lug-  
duum



dunum nunc urbem Leidensem. Quia, præterquam quod  
 ostij alicuius ad Egmondam apud alium scriptorem com-  
 memoracionem non videam (ac certè nec famosum, nec  
 antiquum potuit fuisse) ibi erat ordinarius consuetus tra-  
 iectus ex Batavia in Britanniam, & contra, cum Sosimus  
 (sic scribit Cambdenus) Oceanum inter Britanniam & Rheni  
 ostium Cadwicanum interfusum 900. stadijs tamquam  
 usitatum traiectum dimensus est, scripseritque annonam  
 à Britanniam ad hunc locum subvehi solere. Deinde erat i-  
 bi portus ac alveus celeberrimus & frequentatissimus, quæ-  
 admodum indicat arx Britannica. Erant ibi aquæ Rheni  
 famosiores crebriorque eius nauigatio, quod suadere  
 potest telonium Romanorum Rhenanæ ripæ impositum.  
 Præterea erat rectus Rheni cursus rectaque via Traiec-  
 tum versus, aliàs frustra circuire fuisset necesse. Postremò  
 ita sapius habent Chronica Hollandiæ à me visa. Est etiam  
 expressa sententia Ioannis Leidensis lib. 2. Chronici cap.  
 6. Id ipsum præ se ferunt verba Alcuini: *Igitur vir Deicum  
 socijs nauigauit donec prospero cursu ad ostia Rheni fluminis vela de-  
 posuit, ibiq; optata telluris statione refocillati sunt, & mox ad castellum  
 Traiectum, quod in ipsa fluminis ripa situm est, peruenerunt.*

Quod S. Willibrordus scribatur appulisse Grauelingam,  
 puto accipiendum esse, non de nauigatione, qua ille ex Hi-  
 berna in Frisiam exscendit anno 690. sed de alterius tem-  
 poris accessu seu appulsu. Ipse namq; in Brabantia & Ze-  
 landia prædicans, Flandriæ maritimas oras etiam inuise-  
 bat, ut constat de Bierfieto, Axelia, Hulsto &c.

Iuuabit accuratum lectorem oblata occasione annotare  
 verbis Cornelij mox prolatis tres manifestos lapsus con-  
 tineri, siue ipsius sint, siue Typothetarum. Primus est, ve-  
 nisse Wilfridum in Frisiam anno 687. Quem manifestè re-  
 darguit V. Beda tam in Epitome, quam Historiâ, affirmans



S. Wilfridum primò expulsū Episcopatu an. 678. illaque  
expulsione in Frisiā nauigasse, cum Adgillo locutum, pluri-  
mos ibidem Christo lucrificasse. Præterea, eodem & An-  
glicanis Historicis consentientibus, S. Wilfridus primā  
exturbatione ex Frisia Romam perrexit sedente Agathone  
Papa, per quem cōgregata Synodo absolutus, dignus Epif-  
copatu & restitutione est iudicatus: Agatho verò sedit ab  
anno 679. vsque 682. Huic concatenatus alius, venisse  
primo anno Iustiniani Imperatoris. Veritas est aduenisse  
imperante Constantino III. Pogonato, qui imperauit  
tam solus, quam cum filijs ab anno 669. vsque in annū 686,  
quo anno aut sequenti Iustinianus cœpit imperare solus  
cum antea duobus tantum cum patre regnasset annis.

Secundus error est, Wilfridum fuisse Episcopum Lin-  
disfarensem, scribi deberet Lindisfarnensem: nec fuit Wil-  
fridus Episcopus Lindisfarnensis, nisi in quantum erat E-  
piscopus totius Northumbriæ, sub qua Lindisfarnenses.  
Vnde obseruandum aliam esse insulam Farnæ, aliam Lin-  
disfarnæ: Item aliam esse prouinciam & Episcopatum Lin-  
disfarorum aut Lindisfarēsium & Lindisfarnēsium: incau-  
tis similitudo nominum est decipula.

Tertius est, missum S. Willibrordum ab Egberto Archie-  
piscopo Eboracensi, quem supra patefecimus.

Incertum pariter est Egmundanos Dominos à Radbodo  
Frisorum Rege originem trahere. Pontus Heuterus in de-  
scriptione Genealogiarum Belgicarum quam parum à fa-  
bulis absit talis Genealogia satis indicat.

Hæc per transennam, & quasi parergōs, non despectu  
Authorum (humanum est labi, mihi potest accidere, nec v-  
nius omnia perspicere) sed amore veritatis conseruandæ  
& propagandæ, eò magis quod alios videā in eos scopulos  
illidere & veritati naufragium facere.

No;



Nota ex verbis Alcuini supra cognosci S. Willibrordum ad ostia Rheni (Cadwicana intelligo) lemisis velis quieuisse, & exscensione facta cum sodalibus corpora à mari fessa curasse hospitio aliquo exceptum. Vnde ulterius est colligere eo ævo Cadwicanum Rheni tractum fuisse habitatum.

## DISSERTATIO XX.

De quodam statu Urbis Ultraiectinæ ante adventum Willibrordi.

**S**anctum Willibrordum cum socijs superato mari & emenso flumine urbem Traiectensem intrasse iam vidimus. Quantum in ea egerint, quantum hæserint, silentio nimio premitur. Non dubitandum Radbodum caput gentis adijisse, aduentus sui causam exposuisse, licentiam verbi Dei deprædicandi flagitasse, tum priuatim, tum propalàm fidem Christianã proposuisse. Sed præfrictæ frontis Frisonibus cuncta aspernantibus diuergium ab ijs fecerunt, qui eliminatã Catholicã Religionem in Idololatria obstinabant. Superius est relatam Valentinianum Imperatorem Ultraiectum Germanis ereptum Gallia afferuisse, & constat Dagobertum Franciæ & Austriæ Regem ibidem regnasse. Num toto medio tempore inter Valentinianum siue Clodoveum primum Franciæ regem Catholicum, qui decessit anno 514, & Dagobertum qui coepit regnare anno 632, sub Gallico aut Francico imperio steterit, perparum est à vetustate. Si coniecturæ præsidio agendum, cõiectari potest Frisios post Valentinianum, qui desijt anno 455 & Clodoveum, ante Dagobertum interdum saltem recuperasse. Fundamentum est, quia Sacellum Diui Thomæ (addunt alij & Sancti Martini) fundatum